JO. PAVLLI KRESSII D.

PROBLEMA JVRIDICVM

VTRVM JOSEPHVS FVERIT DARDA-NARIVS

VVLGO:

Von


Josephs Kornhandel.





EDITIO II.

ANNO MDCCXXXV.



SVMMARIA.

§. I. *Cur problematis vox adhibita ostendit, & quomodo medius incedere quis possit inter dogmatismum & scepticismum.*

§. II. *Etymologiam sistit satis dubitanter, cum nullibi de Dardano certa extent, sed traditioni tota relatio debeatur.*

§. III. *Communem definitionem exponit laudato Domino Strykio, quod hic ipsum contextum adduxerit, interim propria definitio rejicitur ad §. 7.*

§. IV. *Hinc interserit quæstionem de moralitate, concludens impingere emtores contra leges amoris non justitiæ.*

§. V. *Rationem reddit cur crimen peculiare e vitio factum in civitate, adjiciens rationes differentiæ.*

§. VI. *Græcorum, Romanorum, Judæorum & Germanorum instituta vel exponit circa rem frumentariam vel remissive tractat.*

§. VII. *Tandem exhibetur definitio propria, cujus singula verba examinantur. Addita simul excusatione cur non ad certam classem relatus Dardanariatus.*

§. VIII. *Speciem facti auspicatur inspersis variis observationibus.*

§. IX. *Venditio coemtio frumenti, uno verbo* κρινόμενον *refertur.*

§. X. *Additamentum de coemtione salvat, Philonemque notat.*

§. XI. *Josephum accusat.*

§. XII. *Eundem defendit & a crimine & ab inhumanitate immunem commonstrat.*

§. I.



Roblematis Juridici mentio sit in nostræ Dissertationis frontispicio. Constitutum enim nobis est per modum quæstionis Juridicæ frumentationem Josephi expendere, relicta cuivis aliter sentiendi, & alia omnia credendi libertate. Vocarunt vero veteres hoc scriptionis genus πρόβλημα, siquidem passim apud oratores præcipue Ciceronem simili ratione disserentem, Thema sermonis hoc Titulo insignitum conspicitur. Exinde tamen minus recte quis argueret, nos forte ipsos hærere ancipites ac incertos, quid de nostro tandem argumento pronunciandum sit. Etenim media via inter Scepticismum & Dogmatismum incedere animus est, cum sine vitio horum neutrum sectari liceat. Qui priori se addixerunt parum tuto rebus agendis, imo & calamo tractandis ea propter adhibentur, quod solis dubiis nati, nec quæ maxime expediant in actionibus eligere, nec quæ rationes tandem rationis examen ferant definire norunt. Mille vias consulentibus recludunt, mille vias iisdem præcludunt, ultimum responsum, si principiis inhærent, eo redire solet, quod perinde sit, cui quis insistat itineri. Scite de his *Clericus*, tomo 9. Bibliot. chois: une Republique des Scepticiens ne vaut guere mieus, qu' une republique des Athees. Dogmatismus vero eo non placet, quod hic sectarios faciat, quod urat & secet, si quis tantum non cosentit quod manifesto ad superbiam Scholasticam ducat, quasi oracula essent Sybillina & divinæ veritates dicta hominum. Vti Scepticismus nec sibi nec aliis prodest: ita hic & sibi & aliis nocet. Sed hæc alterius meditationis sunto. Illud optimum philosophandi genus videtur inter discordes sententias diligenti

genti cogitatione unam eligere, quid aliis respondendum sit, dispicere, verosimilitudinibus cum ratione inventis æque firmiter ac geometricis regulis credere, aliis dictorum & factorum rationem reddere posse, subinde tamen serio putare, nos esse homines, & alios esse homines. Hinc propria meditamenta non habenda pro unicis & solitariis, non aliis obtrudenda. Quod enim Manilii dictum est: Neque decipitur ratio, nec decipit unquam, illo non abutendum, ut nos in veritatis cognitione remoretur, aut statim de cruta veritate, ubi eruta nondum est nos prave securos reddat. Igitur credimus quidem, certi sumus quidem, sed fieri posse, ut dies diem doceat, persuasi simul sumus. Juris cultoribus potissimum in suo studio hæc tenenda via est, & LL. rite percepturo hæc itentidem inculcanda. Nititur Jurisprudentia regulis interpretandi, regulæ interpretandi notitia hominum, observationibus politicis, historicis, chronologicis, &c. hæc omnia conjecturis. Quod cuivis patet qui maxime acutissimorum Ictorum scripta inter se confert. Itaque hic multa creduntur, & licet cum ratione credantur, creduntur tamen, non sciuntur. Quivis debet eo allaborare quidem, ut verum & genuinum sensum e veterum laciniis eruat, & merito non prius acquiescere, nisi apud se persuasus sit de meditationum veritate. Neutiquam vero herculeos labores sustinet sapiens, ut alios quoque in suam sententiam pertrahat. Pro Problematibus pene multa habet, quo modestiæ laudem mereatur, quo calcar sibi addat, ulterius meditandi & in veritate progrediendi.

§. II.

Scinditur Dissertatio sua sponte in bina capita, quorum primo de Dardanariis agetur, secundo vero de expositione facti Josephi suscipietur tractatio. Primum post alios

multa eruditione & doctrina jam abunde videtur examinatum esse a Jurisconsultissimo Stryckio, ut existimare posset lector præter describendi copiam nobis in argumento nil esse relictum, sed ni fallor dicenda facile ostendent, quod multa adhuc superfuerint in spicilegio modum observanda, ut ni præoccupatus sit animus, nobis vitium a Monzambano non citra acrimoniam Germaniæ Juris Doctoribus exprobratum, nemo impingere possit. Vnde sit Dardanarii appellatio inter eruditos non magis convenit quam de patria Homeri. A mago ut plurimum ratio nominis accersitur; ita enim tantum non in omnibus compendiis habetur: *Dardanariatus ab antiquo Dardano dicitur insigni mago, qui incantationibus agrorum sterilitatem, annonæ caritatem plus vice simplici introduxit.* Sed unde natales traxerit, quæ gens homini, quæ domi lares, id hactenus ex iis, quos evolvere datum est annotavit nemo. Dicis quid obstet, quo minus hominem Trojanum fuisse dicamus, nil enim frequentius apud Maronem quam Dardaniæ, Dardanidum, Dardani &c. nomina quando de Trojæ incolis sermones cædit. Enim vero tota hæc merx suspecta est eruditis decoxerunt figmenta Virgilii, si quam habuere fidem, cessat equi Trojani & aliorum portentorum admiratio, imo tota historia Dardanidum in mendo cubare, & multis fabulis inquinata esse putatur. Illud insuper leppore non caret, quod Magiæ criminis deferatur fictitius noster Dardanarius, quasi incantationibus, præstigiis & carminibus opus sit ad coemendum, aut supprimendum frumentum, quasi alia dementia, quam avaritia cepisset homines, qui omnia corradunt. Ast talia legentem apud glossatores admiratio non subit, si cogitet, fuisse ævum aliquando, quod magica secula dicere licebit, quo, ut cum comico loquar: ad magiam itum est, si vitium vel crimen non alii rei obtrudi poterat. Sic notum pa-

trum

trum adhuc memoria, quo virulentius debeati Lutheri factis judicium ferre possent impudentissimi adversarii, de nativitate eius multa magica protervo ausu commenti sunt. Cujacius, quem magnum juris civilis vatem, ipse hoc nomine insigniendus, alicubi dixit Slevogtius noster ad Sidonium Apollin. curiosos ablegat, cujus hæc leguntur libro 5to epistolarum epistola Apologet. ad Aquil. cum in Constantino constantiam, in Jovino facilitatem, in Gerontio perfidiam & singula in singulis, omnia vero in Dardano mago crimina simul execrarentur. Sed quid inde? Loquitur de avo suo Sidonius, cujus ævum ad Constantini filii imperium refert, qui occisus dicitur a Gerontio in Galliis ad Viennam, si Flavio Blondo habenda fides, vel ad Aquilejam, si credendum est de Strata, jungit huic & Constantino Dardanum magum, ut suspiceris hunc avo suo coætaneum fuisse adeoque juniorem multo, isto ad quem Doctores in Dardanariatus historia excurrunt. Neque ullum robur de mago commento accedit perlocum Clementis Alexandrini qui in protremt. p. 10. edit. Sylburg. dardani comminiscitur, aut Tertulliani qui in de anima libro cap. 57. ex edit. Rigalt. inter absurdarum opinionum de statu animæ post mortem autores Dardanum magum recenset. Ille enim admodum dubitanter loquitur & saltim fabulas noxias effinxisse Dardanum ait, non magiæ nomine male audiisse. Hic vero nec Auctorem, qui suum magum novisset, laudat, nec de autopsia testatur. Itaque nil certi de Dardanariatus Etymologia adserere licet, cum satis locuplete teste destituamur in historia Dardani. Jejune prorsus sunt, quæ apud Hesychium extant voce δάρδανος. Dardanus inquit vir quidam pater Dardani. Confer Thes. Gruterian. cui varios scriptores inseruit. Extat ibidem, fuisse Dardanum non saltim magum practicum sed magiam in formam artis redegisse, scripsisse enim

ingens

ingens volumen de technis magicis, & ne dubites, producitur quidam Democritus qui lectione hujus libri non obiter defunctus, plura inde hausisset, quibus se contra incantationes munire potuisset, sed quot omni ævo non circumlatæ sunt fabulæ?

§. III.

Communiter describi solet Dardanariatus, quod sit crimen extraordinarium, quo annona tentatur, vexatur, &c. sed consultius facturum se existimavit illust. Stryckius de Dardanariatu, si ipsa textus verba l. 6. D. de Extraord. Cognit. loco definitionis substerneret. Rerum enim moralium essentia non minimam partem ab arbitrio imperantis & lege dependet: uti essentia creaturarum a Deo, hinc omnium maxime solide de criminibus judicamus, si Legibus, si voluntate Legislatoris fili ariadnæi loco utimur. Prima controversia oritur circa extraordinarii vocabulum, cum enim Lex Julia de Annona coerceat annonæ flagellatores, videtur inconcinne dici, quod iidem extraordinarie delinquant. Varie responsiones per traducem ad nos propagatæ sunt, accuratior ceteris æstimari solet, quod Lex Julia ad civitatis annonam respiciat, nostra vero lex annonam reliquam vid. Theod. Pract. Crim. h. l. Addas & hoc: antiquissimis temporibus ordinarium crimen dicebatur, cujus causa peculiaris magistratus constitutus erat, quorsum referri vides, læsæ Majestatis, ambitus, peculatus & repetundarum crimina quibus de in tres superaddidit Sylla, Sicariatum, vim & crimen falsi, Pomp. L. 2. §. 32. de O. J. extraordinaria itaque erant reliqua omnia. Enim vero cum hæc differentia esset meri arbitrii populusque juris sui tenacissimus, non credendum est, quod non sibi reservaverit potestatem, occasione & circumstantiis sic suadentibus, vel quoque solo bene placito sic inspirante, de omnibus omnino extra ordinem pœnas

nas ſumendi. Sic in Milonem Pompejus extraordinem animadvertere juſſit, & quæſtionem Domitio Ænobarbo demandavit, licet jam duo Quæſtores de Sicariatu conſtituti eſſent. Idem ſane obtinuiſſe ſub Imperatoribus, quivis rerum humanarum gnarus concludit. Præcipue ſi cogitet, ordinem judiciorum imo omnia fere inſtituta, non facilius mutationem pati, quam ubi unus ſumma rerum potitur. In cæteris enim regiminum formis ſæpe ob diſſenſum & partium ſtudia, quæ ſemel majoribus quondam placuerunt immutata perſiſtunt. Illud ſaltim inde obſerves velim, quantam objectionem, quod ſcilicet annonæ vexatio extraordinarium & ordinarium crimen ſimul dici non poſſit, parum in receſſu habere, cum criminum, uti aliorum Entium moralium eſſentiæ non æternæ ſint, aut ſe habeant ad inſtar numerorum quod de rebus creatis olim dixit Pythagoras. Vide Burnet. in Archæologia. Minimum, qua praxin omni controverſia carere licet, eſt enim omnium criminum hodie coercitio arbitraria & a Principis ſuſpenſum eſt arbitrio, cui judici committere cognitionem, & quomodo ſecundum regulas prudentiæ punitoriæ delictum coercere velit. Quot modis committatur noſter Dardanariatus, disquirit illuſt. Stryckius loco citato, ſed quæ hic ulterius obſervare liceret jam a ſcopo aliena ſunt. Nobis enim de Dardanariatus ſingulis ſpeciebus, & iis praecipue, quæ controverſæ videntur agere conſtitutum non eſt. Sed binas inſigniores ſelegimus, ſcilicet annonæ coemptionem ab aliis, & aſſervationem ſeu ſuppreſſionem ejusdem, quam in noſtris horreis collegimus, neque enim Joſephus (v. l. 6. d. §.) falſo pondere & menſura uſus eſt, neque omnium mercium propola fuit. Sed circa factum ipſius unice de coemptione & ſuppreſſione, diſquirere fas eſt. Plenam tamen definitionem formabimus poſtea. Cur tamen aliorum opera hic

uti non libeat, dicere non possumus, nisi alia prius discussa sit quæstio. Ita ægre non feret lector, quod quædam Dissertationi de explicatione definitionis videat inter seri.

§. IV.

Sed in quo consistit criminis nostri illegalitas, seu ut schola loqui solet quæ ejusdem moralitas? Non enim sufficit solidioris scientiæ amore semel capto ingenio, verborum apparatus, aut acerba & contumeliose invectiva oratio. Distinctius nosse cupit, in quam moralitatis Legem, factum aliquod impingat & cujus disciplinæ practicæ sit ostendere ejusdem a recto tramite aberrationem. Cetero quin enim facile eo dilabitur, ut credat consuetudini & educationi debere unice imaginarium horrorem, qui incauti animum devexat, qui scrupulus ei injicit ac ab insuetæ actionis susceptione deterret. Non eadem omnibus honesta seu πρέποντα cogitat cum Nepote ulterius, mos regionis est.

Quem penes arbitrium est & jus & norma loquendi

Enim vero non Tripos hic consulendus, aut fictitius Thymbræus Appollo, binis potissimum officiis, quicquid homo homini debet, absolvitur, ut afficias proximum bono, ut caveas, ne a te inferatur eidem malum. Illud amoris ac sanioris Ethicæ summa ac scopus, hoc vero naturale jus inculcat, sine eo ad summum societatis bonum non pervenitur, sine hoc frustra suscipitur omnis summi mali cura aut medela. Ad illud præceptis, monitis, præcipue exemplis atque excitationibus evocamur, ab hoc prohibitiones, minæ, interdicta & pœnæ nos arcent. Renunciandum est Juri cuicunque, aliquid dandum imbecillitati humanæ, prioris regula jubet. Posteriori satisfacimus, si jus nostrum etiam rigorose exequimur, secundum illud Ulpianeum (l. 24. §. fin. l. 26. de damno infecto) Qui rei suæ insistit nemini facit

cit injuriam. Sed cui usui hæc omnia inquis. Imo in nostra quæstione magno. Dardanarius sua curat, sua servat, suo jure utitur, aliorum jura non involat (neque de iis, qui falsis mensuris utuntur loquimur) justo pretio acquirit frumentum alterius, quod vero habet proprium, illud in quodam loco negligere interdum maximum esse lucrum putat. Vult sibi secundum Legem civilem & hæredibus suis contrahendo prospicere, Ethnicismum sapere & abnegationi fidei non absimile esse dicit, nulla posteritatis cura angi, non recondere aliquid in ejus gratiam. Contra prohibitiones, interdicta & sanctiones pœnales, tantum abest, ut nitatur, ut potius omne studium in eo locet, ut sustineat & abstineat. Cum damno rei familiaris enim conjunctum esse, aliis per petulantiam insultare, exacte experientia magistra novit. Ergo justitiam non violat, sed sæpe inter concives justus dicitur quia promissum pretium solvit, & ab injuriis sive contumeliis, ad divitias acquirendas nullo modo proficuis, sibi temperat. Ast idem ille Dardanarius, an juri suo renunciat, an imbecillitati humanæ aliquid dat, an amoris dulcissimi magistri, monitorum, præceptorum, excitationum &c. memor est? imo non. Si Livium manibus volvit, verum esse credit, famen ultimum humanorum supplicium esse, sed si famelicus forte ipsi occurrit, credit, quod vestes laceræ sint prœmium ignaviæ, quod hic damnum sua culpa sentiat, adeoque damnum sentire ipsi non videatur. De libertate commerciorum multa commemorare scit, in medio posita esse diligentiæ brabea, æstate colligendum cum formica, ne sit hyeme pereundum cum cicada. Quis per mare per syrtes gratis curret, quis manebit sub Jove frigido, teneræ conjugis immemor, quis laborabit, quis mercabitur, inquit ejusmodi homo, si lucrandi occasio præcisa, si res alienæ non nisi minutim emendæ, si in futurum usum

non ſine piaculo aſſervandæ propriæ. An ideo fertilis aſſiduo tibi ager renovatur aratro, ut eos, qui numerus ſunt, & fruges conſumere nati ſagines? An ideo incedis macilento e laboribus corpore, quo craſſius alteri abdomen gerere liceat &c. Quamvis vero nullo modo vaniloquentia delecter, id tamen ex dictis deduco, quod Dardanariatus inter gentes non ſit crimen, quod in libertate naturali nec invadendi, ſeu belli, nec ad arbitrum provocandi jus concedat. Rationem vidimus abunde, quia non lædit jus alterius, quia ſaltim inhumanitas eſt. Apertius dico: qui in Leges amoris peccat, non criminis, ſed vitii ſe reum facit. Imo in civitate, quia imperans ceteris paribus, eximperfecti juris vel ut rectius effertur ex amoris & obligationis internæ regulis parentibus obligatur, ab imperante quoque crimen hoc non committitur, cum demum civili prohibitione accedente crimen fiat. Licet DEVS, qui ſumma benignitas eſt, non permiſſurus ſit, ut rex immiſericors inultam ferat avaritiæ ſtultitiam. Secus vero videtur dicendum, ſi pactis ſpeciatim circa hoc negotium conventum inter civitatis membra & caput, ſi rex peculiaria, ut ſic loquar, capitula promiſerit, tunc enim naturalis juſtitiæ crimine ſe obſtringit. Sed inquis ſufficit generale pactum quod in quavis civitatis origine ſupponendum. Imo non, ut taceam plurium civitatum primam originem veluti in puteo latere, illud conſtat, quod multæ jure victoriæ cœperint, ubi ſane ſat libera poteſtas victori relicta. Inſuper notandum eſt, quod vi pacti generalis ſe obliget ſaltim princeps ad bene recteve gubernandam rempubl. generatim, quod defenſionem ab eo exſpectare debeant. Non ſinguli actus deſcribuntur, ſed iſtos ſecundum prudentiæ & amoris leges ſuo arbitrio expediendos æque ſibi reſervat, ac privatus quivis. Principi minimum non denegandum, regulariter quod privato conceditur.

§. V.

§. V.

Enimvero in bene constitutis civitatibus temperatur, uti reliquarum actionum, sic & emendi vendendique libertas. Præcipue vero rerum quotidiano usui inservientium cura occupat principem. Eminet sane inter has frumentum, cujus penuria, quæ damna inferat, quas turbas det, notius est ex historia imprimis Romana, quam ut hic exponatur fusius. Differentiæ ratio tam in proclivi est, quam imber quando pluit. Licentiam omnia, quo tempore, quo pretio, quo loco, qua copia lubeat, emendi vendendive præcipue frumentum, obtinere dixi inter homines singulos segreges, inter diversos populos, inter caput & membra ejusdem reipubl. eandem vero nunc inter concives rejicio. Sparsim habitantium sane si expendas vitæ rationem, si monumenta historica consulas, acquisitione rerum ad vitam simpliciter tuendam necessariarum eadem absolvitur. Commercia cessant inter eos propter deficientes exportationes & multorum vitam otiosam. Rarior de caritate annonæ querela est, longe alii mores, quam in civitate. Si quæ vitia regnant, sunt fere vis, mutui insultus, amor commoditatis, neutiquam vero subtiliores avaritiæ technæ. Ne quis unus, præcipue ratione divitiarum, præ ceteris excellat, ut olim libertatis Græcanicæ, sic libertatis hujus κάτ' ἐξοχὴν sic dictæ fundamentalis Lex est. Recordare nostros majores, evolve scriptores græciæ antiquæ, & hæc non gratis fingi, ultro videbis. Sed harum gentium vitam, quis libertati naturali valde ad finem fuisse, neget? Itaque superflua esset de crimine Dardanariatus inquisitio. Neque, ut omittam reliquos, Tacitus iniquus cætera & severus morum Germanorum censor, vel analogum ullum hujus observavit. Si ad integras gentes pergis difficilior adhuc conceptu est Dardanariatus. Si enim gens gentem non vi excludit a commercio gentis, sed provida rerum futurarum, necessa-

cessaria sibi parat, frumenta sibi recondit, non erit gens alia tam stupida ut non sine propriæ ignaviæ nota, iniquitatis arguat hujus industriam. Dein fruges, circa quæ crimen committi dicitur, vel nascuntur apud gentem Dardanariatus incusatam, vel apud nos, vel apud gentem tertiam. Sin illud; vocantur facile, qua merces alias repressalia in subsidium, vel itur ad alias gentes. Sin fruges apud nos nascuntur; nobis imputandum erit, si pecuniæ acquirendæ vesano amore occœcati vendimus aliis, ob quorum carentiam, postea cum fame colluctamur. Sin ultimum contingit, nobis etiam integrum erit, idem periculum tentare, eandem viam inire & indigentiæ nostræ prospicere. Sane status nostri miseriam deplorare debemus, quod debito modo non de pecunia, qua ad emetiendum iter opus est, solliciti simus, sed quam ex ipso fonte aquam bibere poteramus, non citra tædium & incommodum e turbidis rivulis hauriamus. Igitur quacunque rem perpendam ratione, non video, quid me moveat, ut fictitio (ita enim dicendum vulgare gentium jus) juri gentium caput denuo assuam, vel ipsius fimbrias dilatem. Ab Imperantibus hujus rei, in multis locis nil timendum, vix enim qui τὸ κύριον gerunt præsentia curant; de futuris prorsus securi, imo plerique omnem mercatum despicatui habent, & si secus quid accideret, ipsi subditi sibi vigilent, & aliunde advehant, si id non factum, tempore caritatis annonæ gratias agant Principi, quod solus extiterit industrius. Minimum si coactio illicita absit, si reliqua gubernandi ratio sibi constet & in usum civium dirigatur, non invidebunt Patri patriæ prudentiores, si suo exemplo subditos cautius mercari doceat. Alia longe ratio est concivium, hic sæpe ingens multitudo arctissime cohabitat, plerisque ex opere quotidiano vivendum, paucis positi in fœnore nummi, raro crescente pretio rerum crescit operariorum merces: itaque merito iis

sub-

subveniendum est, ne quorundam avaritiæ veluti sacrificentur. Accedit, quod omnia vilius emantur, quæ per paucorum manus tradita ad nos perveniunt, unde cavendum, ne tot veluti personæ intermediæ existant frumenta comparantes. Ex eodem fonte fluit sapientissima Lex patria articulo 7. tit. *6*. Lib. 3. Juris Lubecens. **Ein einkommender Gast mit seinem Gute in dieser Stadt/ der kan dasselbe niemand anders/ denn unsern Bürgern verkauffen.** vid. Mev. in not. n. 17. ubi de hujus constitutionis defraudatione & defraudantium pœna. Datur profecto sæpius ignavum & turpe pecus, quod insigne onus existimat, vel manu laborare, vel alia honesta opera aliis inservire. Hinc ad coemendum victum, frumentum præcipue dilabitur, quod exiguæ industriæ est, sed magnum aliis detrimentum affert, ipsi Principi noxium. Nam hi propolæ lucro suo, quod ad ipsos ex illicito contractu redundat, idem sane agunt ac si novum vectigalis genus excogitassent a frumentis exigendum. Igitur omni nisu eo allaborandum, ne permittatur, tale quid, quo habeant cives, unde tributa ad Reipublicæ sustentationem necessaria solvere possint. Præcipue hæc quadrant ad civitates, quarum agri vel ipsi frumenta suppeditant, vel quæ a proxime vicinis asportatum emere solent. Etenim in illis, quæ non nisi magnis sumptibus per longinquum & periculosum iter advecto frumento utuntur, diversitas quædam observanda. Hic enim tantum abest, ut ditioribus mercatoribus vitio dandum sit ejus ingentem vim comparasse, ut aliter necessitati publicæ consuli nequeat. Id tamen hic danda est opera, ut ipsi advehentes vendant & pro possibili pessimum hominum genus, quod vernacula **die Höcken** appellare solet, eliminetur & absit. Subsume ex dictis quod non semper requiratur intentio, aut dolus ad crimen nostrum, eadem enim sæpe damna patitur respubl. si quis ingentes frumentorum acervos condu-

xit bona fide, quæ passura fuisset, si avaritiæ malignus, affectus idem fuisset ausus. Itaque unice requiritur effectus annonæ caritas & raritas, quæ si non sequitur, humani fori non est solum dolosum animum punire, quippe Deus interna judicat. Quisque suos patimur manes & sua quemlicet cepit dementia, quam plerique non nisi cum vita ponimus. Idcirco non citra deletionem humani generis concipi potest omnium nævorum violenta abolitio: sed vitia proh dolor! erunt donec erunt homines. Ast objicis: an ergo eadem culpæ, quæ doli pœna. Resp. id non sequitur ex allatis. Scilicet facile concedo, in pœna infligenda circumstantias esse expendendas, quis sit Dardanarius, quæ ejus indoles, quo proposito ad coemptionem vel suppressionem accesserit. Id saltem volo, ad criminis constitutionem, proæresi non esse opus, uti nec ad provocandum jussum Magistratus vendendi frumenta. Neque vero novum est plurium factorum moralitatem solo, ut sic loquar, excessu absolvi. Publica igitur salus suprema lex esto, quacunque ratione offendatur, obviam eundum, modo interdicta, vel jussa exitum sortiri possint, neque emendatio interna per modum Legis postuletur, sed actiones externæ suo sensu arbitrariæ & reipubl. noxiæ corrigantur. Sed ecquis neget, Dardanariatum talem esse? Paupertate quidem magistra multa laude digna didicisse Macedones Curtius autor est, fame autem magistra nescio an ad virtutem plebs manu ducatur. Præcipue si famem, quorundam malitiæ accepto ferendam intelligit. Hinc recte malesuadam appellat Horatius.

§. VI.

Vidimus nunc rem frumentariam secundum regulas philosophiæ moralis in diversis statibus & quid in singulis circa eam reperiatur justi: licebit paucis addere, quæ gentium celeberrimarum in suis civitatibus instituta fuerint.

Agmen

Agmen, ſalva præcedentiæ vanitate, ducant Græci. Hi in plures reſpubl. fere nunquam non ſciſſi fuerunt, ut univerſim nil temere de eorum Legibus dicendum videatur. Politisſimi Athenienſes Solonem Legiſlatorem laudant, de cujus ſapientia multus apud authores ſermo, non quod ſcriptis inclaruiſſet aut inani theoria, ſed quod artem imperandi proprio exemplo docuerit, ac cogitaverit, famamque extendere factis hoc virtutis opus. Plutarchus in vita ipſius refert hanc Legem: τῶν δὲ γιγνομένον διάθεσιν πρὸς ξένους ἐλαίου μόνον ἔδωκεν i. e. fructuum ad exteros exportationem oleo excepto non indulſit. Demoſthenes mentionem injicit τῶν νόμων τὰ ἔσχατα ἐπιτίμια προστεθεικότων, εἴτις οἰκῶν ἀθήνησιν ἄλλοθι που σιτηγήσῃ, ἢ εἰς τὸν ἀττικὸν ἐμπόριον h. e. Legum ultima ſupplicia ſtatuentium, ſi quis civium Athenienſium alibi frumentum evehat, quam in portum Atticum. Unde fluit nec poſt deductionem in emporium curam rei frumentariæ abjeciſſe Athenienſes & crimina permiſiſſe, cæteroquin Leges citatæ fruſtra fuiſſent & ſine uſu, quas tamen ab utilitate commendat Lycurgus citatus Meurſio in Themide Attica. Aſperior erat Lacedæmonum genius & incultior vitæ conditio, rigidis enim ſtatutis Lycurgianis temperabatur eorum Reſpubl. Hic vero non frumentarium ſaltim, ſed omne commercium cum pulviſculo quaſi rejecerat in ſua politica. Mores quidem inde emolliri, ſed fortitudinem ſimul decreſcere ratus. Nil exportari, nil importari debebat, ne vicinorum levitas ulla ratione inficeret ſeveritatem Spartanam. Auri & argenti nullum erat pretium, ſine quibus vix concipiuntur mercaturæ. Imo aperte edixerat Lycurgus: ὅτε ἔμπορος ἐσήει εἰς τὴν σπάρτην Mercator Spartæ ne inſit & alibi, hoc legitur ejus: χρηματίζεσθαι ἄισχρον σπαρτίατῃ i. e. Turpe Spartano homini quæſtum facere. Propius tamen nos tangit eorundem Lex alia ὃς ἀπαγορεύει μηδένα τῶν ἐν τῇ πόλει σιτον πλείω

πεντηκότα φόρμων συνωνεῖσθαι. i. e. quæ prohibet ne cui in civitate liceat plus quam quinquaginta corbium frumentum coemere. Ecce hic Dardanariatum veluti in incunabulis suis suffocatum. Plura vide apud Nicolaum Cragium insertum tomo 5to antiq. Græcan. Gronovian. quos celeberrimi Danzii nostri benivolentia inspicere licuit. Neque segniores extitere Romani, non saltim fraudes ac suppressiones frumentorum diligenter præcavebant: sed mature cœpit coemptio publica, leviori pretio facta venditio, successerunt & largitiones, unde tessara frumentaria cujus meminit Lex 4ta §. 1. de Legatis 2. Qui mos diutius duravit sub Imperatoribus Constantinopolitanis. vide plura & erudita apud Jacobum Gottofredum ad varios titulos Codic. Theodos. de frument. de Annonis per integrum volumen sparsos. Addatur Petrus Erodius R. Jud. lib. 9. Titul. 4. Manut. de Legibus Romanis ad Leg. Jul. Annonæ. Antonius Augustin. ad eand. insertas Tomo primo antiquitatum Romanarum Grævii. Multam lucem quoque affundunt rei frumentariæ Guilhelmus Contarenus libello de frumentariis largitionibus in defensionem Bembi contra Lipsium conscripto B. Struv. Diss. de Annon. In legibus divinis non prohibetur hoc crimen, neque vero Judæorum status id exigebat. Vita simplex & agrestis, quam Græci & Romani barbaram dixere, non novit Dardanarios cuivis sat agri erat, unde videbatur stultum frumentum coemere absque spe cum lucro vendendi. Igitur divisione agrorum sapientissimum Numen prospexerat malis, quod cum Romæ fuisset neglectum, post inanis sæpe quæsita annonariæ penuriæ medela. Successu tamen temporis, cum a prisca morum simplici integritate deficeret gens Israelitarum, (inprimis mutato populari ac æquali statu in monarchicum) sufficientiæ amor deferbuit, & succrescens luxus peperit artes luxum alendi. Tædium subibat itaque frumentum ad vitam

tole-

tolerandam, & quotidianum ſaltim uſum coemiſſe, laceſſeoat animum deſiderium diteſcendi, nec non cum alterius damno lautius & delicatius comeſſandi, frequentes ideo leguntur apud prophetam Amos querelæ de flagellatoribus Annonæ vid. cap. 5. v. 11, cap. 8. v. 6. imo jam ad Salomonem Dardanarii ſuum genus referunt, dicit enim: Qui frumentum ſupprimit, ei maledicunt homines. Proverb. cap. 11. v. 26. Videtur tamen nihilominus neque his temporibus publica lege pœna ſtatuta in annonæ vexatores, ſed manſit eos ſaltim commune hominum odium. Turpe habitum fuit, & cum exiſtimationis diminutione conjunctum, convehere ſuperfluam frumentorum copiam, de crimine nil legitur, aut exinde data accuſatione publica, & neſcio ſane annon plus effectum hac occulta coercitione, quam deportatione atque aliis pœnis, quas minatur Lex Romana. De antiquorum Germanorum inſtitutis jam ſupra binis verbis monitum, quid obtinuerit.

§. VII.

Sed in viam tandem, poſt longiorem digreſſionem. Quæres forte, cur tam longe abiverimus, age dicam: Quæſtio an quis Dardanarius, an crimen committat emendo frumenta, ſupponit præjudicium aliud, in quo ſtatu vivat, verum hic, ſi ullibi: duo cum faciunt idem non eſt idem. Itaque diſtinctius paulo, commonſtranda fuit moralitas, & exactius docendum a quo perpetretur. Quod cum aliis inquirere non placuerit, nos idcirco ipſis quoque ſua reliquimus meditamenta, nec ſerviliter eadem adorantes, nec ſcabioſe & contra decorum traducentes. Si igitur quod in alium ſtatuit quis jus, eodem & ipſe uti, non poſſit tantum, ſed debeat, pace aliorum Dardanariatum, quatenus noſtræ cogitationi illum ſubjecimus, deſcribimus, quod ſit: crimen a ſubdito contra laude digniſſimam prohibitionem

civilem, ne plus emas, ne plus asserves, quam opus ad proprium usum frumenti commissum, sive dolo, sive culpa, modo fiat, eo tempore, eove loco ubi annonæ caritas inde sequitur. Non refero in ad ullam classem, in quas Romani crimina describunt, cum Jurisprudentiæ nostræ criminali parum accedat, decedatque, sive noscas, sive ignores. Reliqua definitionis verba superius dicta defensabunt. Paucis addo, nolo mirari, cur crimen dixerim, quod dolo vacare potest. Cogita prius facta quæ ad crimina lex Aquilia refert, cogita tot Leges prohibitivas alias, e. g. Legem Gallicanam quæ immobilia vatat legare clero, prius quam mihi litem intendas ne incidas in pœnam temere litigantium. Constabunt sibi dicta facilius, si insuper & illud credis Beyero ad D. h. t. quod hodie solum ad venditionem cogantur propolæ, non rigidis aliis pœnis vexentur, quod sufficere omnino videtur in facto interpretationis maxime ambiguæ & pro cujus excusatione a committente non spernendæ rationes adferri possunt. Cui vero competit curam frumenti gerere, venditionem injungere & quandoque pretium definire? Cum par in parem non habeat imperium, sine dubio comperat superiori. Licet enim Respubl. eo saltim introductæ videantur quo cives a mutuis insultibus abstineant & quiete vivant. Sæpe tamen non potest concipi quomodo finem feliciter assequi liceat, nisi præter actionum, rerum quoque directio principi concedatur, cum multæ actiones ita rebus veluti innexæ sint, ut frustra sit, qui eas coercere præsumit, ni jus suum Leges ferendi & ad res extendat. Hinc scriptores juris naturæ in doctrina de majestate separato ac peculiari capite, de potestate Principis in bona subditorum exponunt. Nimia itaque fuit hactenus quorundam Imperii & Dominii oppositio, cum tamen, licet illud in rebus terminetur, hoc vero personas respiciat, sano sen-

su

ſu in principe intime conjuncta ſint & ſic habes explicationem verborum : *contra prohibitionem civilem*. Sed anne idem dicendum de Magiſtratu inferiori ? Reſp. Diſtinguendi hic ſunt præfecti a ſenatorum collegiis. Illi nudo miniſterio defunguntur, nec ullo modo jus ſibi aliquod competens in Jure dicundo arrogare poſſunt, ſed omnino dependent a principe, imo cum vita perſonæ omnis precaria poteſtas poni ſolet. Hinc ſi cum principe litigant, (cum quo vero litigabunt alias circa exercitium hujus Juris ?) ultro herbam porrigunt, non ad præſcriptionem non ad alium titulum provocare auſi. Enim vero corpora Senatorum, cum multa ſuo veluti Jure poſſideant, cum licet principi ſubſint, majori nihilominus præ cæteris libertatis ſpecie effulgeant, & diſtinctum quodammodo a rationibus principum cenſeatur ipſorum patrimonium, quandoque privilegio, præſcriptione pactis & cetera muniuntur, ut ſine conſenſu principis rem annonariam neceſſariis inſtitutis temperare poſſint. An hic contrarietur an ſubſcribat Lex civilis non curo. quia noſtræ urbes fuere ante cognitum uſum Legum Romanarum: Eſt tamen ſecundum communem opinionem uſus earundem, ſi non liqueat ſpeciatim e pacto vel conſuetudine. quid dicendum de hujus vel illius municipii ſtatu. Vid. omnino Dn. Thomaſ. de diff. Magiſt. ſecund. LL. germanicas. An prohibita coemptione frumenti farinæ coemptio prohibita ? videtur quod noneo quod ſtatuta ſint ſtrictæ interpretationis, jam vero ſtricto ſignificatu nuſpiam legitur frumenti vocabulum pro farina ſumptum : ſed ſana ratio quæſtionem affirmat, quia ſana ratio conſulit regulas interpretandi, quæ omnes actus e cauſa impulſiva explicandos & ita exponendos monent, ut ne fruſtranei ſint.

§. VIII.

Pergamus nunc, viſo jure, ad factum Joſephi. Multa

ta in ejus vitæ curriculo observatu digna occurrunt, sed annotemus pauciora in spicilegii modum. Præ ceteris diligebatur a parente Jacobo, quia genitus erat ab eo jam in senium inclinante ætate, ut refert sacer codex. Erat natus e dilectissima conjugeRahele cum fratre germano unico Benjamino, affabilis ingenii & elegantioris formæ, educabatur inter filios ancillarum & cum illis degebat, matris forte consilio, ceu non inepte observat Salian. in Annalib. Eccles. ob simultatem cum progenitis e Leah. Solet enim inter liberos idem effectus se exserere, quem aluerunt parentes aut matres: ita quippe natura comparatum est, ut non solum nobis, sed proxime agnatis & magis uni e parentibus illata injuria lacessamur. Neque fallitur, qui ex eodem fonte deducit, quod addit Moses, ipsum detulisse ad Jacobum, si mala fama esset contra fratres. Illud enim nemo, nisi negotiorum humanorum ignarus: negabit, quod Leaithica proles delicta mutua potissimum hoc sensu compensaverit, quod semper altera tacente, altera tacuerit. Hinc Joseph jam patri in deliciis arrepta hac occasione, quod ipsum de gestis fratrum instrueret, de die in diem favorem magis sibi pignorabat, non sine bile ac indignatione illorum. Id quoque, quia homines sumus, quia hominum gesta in sacris etiam legimus credere non possum, quod meras indubitatas veritates, retulerit Joseph, quod nil de suo addiderit, nullius veritus sit odium, nullius ambiverit gratiam, superant hæc pueri, licet bonæ indolis, captum. Nescio dein, an egregie factum sit, quod Jacob illum peculiari & pulchra veste distinxerit a reliquis fratribus. Verum illud tandem odium, sub favilla delitescens, ardentissimis flammis armabat, quod circa futuram gloriam prædicta non secum animo volveret ac venerabundo silentio custodiret, sed non sine ægritudine fratrum palam eloqueretur. Satius sane, ni fallor,

fallor, fuiſſet, in ſinum patris effundere hæc divina arcana, & in ſilentio ac ſpe eventum exſpectare. Aſt ſic erat in fatis. Conſtituerat ſcilicet divina providentia Joſephum per varios caſus, demum per tot diſcrimina rerum, & non uno ſaltu, in altum evehere, ne forte quicquam ſuæ virtuti ac induſtriæ deberi exiſtimaret. Itaque nunc proſpera & magna quævis per ſomnium ſuggerebat, nunc ſuggeſta confirmabat, ſed nunc quoque cum animum, more noſtro i. e. hominum ſe ea propter efferre animadverteret, occultabat auxilium, quo efficacius propriorum conaminum vanitatem cognoſceret & divinæ potentiæ ſolum fideret Joſeph. Tempora tamen cum maxime nubila eſſent, divinæ gratiæ intermicabat radius, quo ad oculum demonſtraretur eidem, quæ DEus prædeſtinavit, nullis hominum machinationibus ſufflaminari poſſe, ludere in humanis divinam potentiam rebus, præcipue ſub hoc ſchemate. quod intellectum per afflictionem dare ſoleat, quod ad culmen elevet, quæ lapſui ac præcipitio proximos ſe credunt, in imum deturbet, qui jam faſtigium ſe tenere putant. In hunc ergo finem, eripiendus erat fatali caſu dulciſſimis parentis amplexibus noſter, & relinquendus odio fratrum in fovea. Suæ poteſtatis eſſe hi autumabant, quid vellent de eo ſtatuere, quo ſupplicio afficere, quo denique mortis genere ipſum convincere, quod figmenta ipſi illuſiſſent, per ſomnium, quod vana, quæ hactenus crepuiſſet, vaticinia eſſent. Tandem media placebat via & patri ſalvum remittere, levis nimis, occidere plane, gravior ultio videbatur. Vendebant idcirco Iſmaelitis, ut a conſpectu ſubmoveretur, ut deſineret nuncios perferre patri & moleſtus ipſis eſſe. Benignior quidem fortuna initio excipiebat illum in Ægypto, præfecto enim militum Potiphari venditus, rei domeſticæ præficiebatur, & plusquam vicaria poteſtate ampliſſimam familiam gubernabat. Nimis

tamen

tamen matura adhuc erat gloriæ inſtantis cogitatio, cum præteritæ calamitates, præ ea, quæ nunc ingruebat, non niſi præludia dicenda eſſent. Mox enim attentatæ pudicitiæ falſo delatus in carcerem detrudebatur, periculo vitæ expoſitus. Cum miſer juvenis remotus a ſuis, remotus a parente, non haberet, cujus implorare poſſet auxilium. Regio erat ignota, delictum cujus incuſabatur grave, magnus & multæ autoritatis miniſter, offenſus, callida conjux in necem ipſius attenta. In hac luctuoſa rerum facie quis dubitet Joſephum ſæpe putaſſe: nunc conclamatum eſt peccata tua in cauſa ſunt, quodDEus quæ olim revelavit bona, nunc deneget indigno. Aliter nihilominus omnia eveniebant. Enaſcebatur inopinata occaſio colloquendi cum viris principibus, captivis quidem ad tempus, ſed quorum mox unus liberabatur. Non ſaltim vero colloquendi, ſed gratiam ac favorem promerendi opportunitas apparebat. Videbantur quidem nec hæc ſufficere, cum ob ſat commune ingrati animi vitium beneficii obliviſceretur præfectus pincernarum, ſed inſtabat deſtinata DEI hora. Hinc ipſe rex nil tale cogitans, indigebat opera Joſephi & invitus quaſi captivum in libertatem aſſerere, & inter aulæ proceres aſſumere cogebatur. Si mente ſemel adhuc ſingula intueris, facile in hac anacephaleoſi obſervabis ſapientiſſimas DEI caſtigationes. Deferebat Joſeph fratres, deferebatur & ipſe, imperandi deſiderio vexabatur, ſed prius ipſi ſerviendum erat. Viſo ſomnio vix horulæ ſpatium e lecto ſurgens expectare poterat quin annuntiaret cum tædio audientium, qualem ſe futurum judicare deberent, verum plus quam ſimplex luſtrum transmittendum erat, antequam bono Joſepho contingeret, quod ante fores eſſe opinabatur. Singulæ quæ accidebant calamitates, ſingulæ paſſionum medicinæ, imo non ſufficit, ſingulæ non tam calamitates erant, quam minora bona, per

quæ

quæ, ipſo numine obſecundante gradus, ad majora bona ſcandebat. Duplex lucrativa cauſa, quam circa eandem rem Juſtinianus noſter admittere noluit, hic in eadem calamitate conſpirat. Bina ſane lucra, emendatio interna & gloriæ non vanæ ſatietas. Inſuper id obſervatu quoque non indignum, quod plerique noſtri affectus ſibi ipſis impedimento ſint, quo minus ipſis ſatis fiat & quo minus ipſi exſaturentur. Jacob amabat ſuum Joſephum, idem amor dubio procul conjunctus erat cum deſiderio diutiſſime & oculos & animum gratiſſimo hoc objecto paſcendi. Sed idem amor inſpirabat conſilia ſcopo prorſus contraria. Joſephum præ reliquis magni faciebat, polymita tunica veſtiebat, cenſorem fratribus & obſervatorem præficiebat. Juraſſet Jacob, quodſi horum unum omiſiſſet, ſe credere quod Joſephum non amaret debito modo. Sed rectius jurare potuiſſet, quod vel horum unum ſufficeret ad perdendum Joſephum. Verbo igitur, nos amamus ſimul & non amamus. Imo, quia contrariorum eadem ratio, nos odio habemus ſimul & non habemus. Amare, ſi modo rectius inſtituta noſtra examinamus, credimus eſſe, rem amatam eo modo habere & tractare, quo majus inde capiamus delectamentum, non quo diutiſſime ſervetur & conſervetur. Odio habere eſſe putamus ea inferre, quæ nobis ſunt parum grata, utut alteri intellectum dent & ſaluberrima ſint. Aſt hæc obiter.

§. IX.

Sequuntur quæ propius diſſertationem noſtram reſpiciunt. Joſephus e carcere dimiſſus accerſebatur in aulam, ut ſomniorum interpres eſſet, feliciſſime munus hoc exequebatur, Pharaoni non ſaltim diſtincte & perſpicue exponens, quis ſenſus ſomnii, ſed quo tempore prædicta ſecutura, quid conſilii capiendum, quo majus malum avertatur. Sane con-

tra naturam vatum de turba, qui plerumque dubie & ambigue respondent, ut quicunque accidat eventus, suam artem mendacem defendere queant. Quidam tradunt Josephum primum fuisse, qui somniorum intelligentiam condidisset, sane exsertis verbis hoc dicit Justin. libro XXXVI. cap. 2. Imo eo progressa est effrenis curiositas, ut definire voluerit, quibus regulis Josephus usus sit. Hinc legis hæc apud Grotium in commentario ad hunc locum: per vaccas anni significantur, ut est in oniro critico Asaph Setha, item in Achmete cujus verba sunt cap. 239. ex Ægyptiorum regulis boves fœminæ ad tempora pertinent, & si pingues sunt tempora fœcunda significant: Sin exilia & tenuia sterilitatem temporum. Illud extra dubium, quod de re frumentaria in usum Pharaonis comparanda Josephus, quid sentiret exposuerit, quodque cogitata hæc re ipsa executus sit. Omnia eo redeunt. Dicit Pharaoni quod bifarium & duplex schema per somnium suggestum certissimam & brevissimo tempore instantem annonæ caritatem portendat, sive quod exili & macro solo ob nimiam siccitatem ac pluviarum deficientiam, Nili inundationibus carendum foret, sive ob aliam quamcunque causam. Hinc sua sponte fluere, quod non otiosum esse deceat regem, eligendum esse, citra multam procrastinationem, virum genuinæ politicæ & rerum oeconomicarum apprime gnarum, qui mature eo cogitationes intendat, quo omni generis frumento tritico præcipue horrea distenderentur. Et ne quis consilium hoc carpere possit quasi saltem defectum indicaret & defectui medendum esse generalissimo sermone moneret, qui tantum non ordinarius consiliorum nævus esse solet, ecce! distinctius quid agendum commonstrat. Scilicet moris esse, sicuti in finitimis rebus publicis, in ægypto, ut singulis annis decimæ persolverentur a subditis pro sustinendis reipubl. oneribus, hortandos nunc esse, ut duplicatas offer-

ferrent, neque id oneri ipsis fore, cum fertilissimæ sint futuræ messes. Insuper vili pretio comparari posse a rege, quæ frumenta vel exportarentur e regno vel alias venui essent. Placet regi mire consilium & perspicuitate & utilitate se commendans. Tanta vis congeritur annonæ, tanti convehuntur acervi scriptura ajente, ut non semper exacte in rationum libris singuli modii perscriberentur, cumque Josephum autorem agnosceret institutum, is rei œconomicæ cum plenissima potestate præficitur. Additur ipsius nomini, pro more tum regibus usitato, aliud *Psomtompharecb* quod teste Philone explicatur: Per judicem in responsionibus. Ἑρμηνέυεται ἐν ἀποκρίσει ϛόμα κρίνον. Thalamo jungitur filia summi sacerdotis, quo magis extra invidiæ & insidiarum tela locaretur, ope viri, summæ venerationis apud populum, & primæ admissionis apud regem suffultus. Incidunt finitis septem annis tempora cara, largissimum & uberrimum sulcis semen committitur, sed parcior ac exilis inde proventus, nec quamvis laborioso & avido parent arva colono, nec votis ipsa seges respondet avari agriculæ &c. ut poetæ dictum est. Primo anno non audiuntur querelæ compensante fertilitate proxime antecedentis hujus sterilitatem. Accedit, quod minus jucunda, & difficilis res videretur Josephi tanquam exteri auxilium implorare. Verum quicquid agitarent secum animo, quascunque suggereret pudor invidiæ mixtus objectiones, caritas non mutatur, multum seritur, pauxillum metitur, horreum deficit, fames urget. Seponendi itaque affectus & stimuli ambitiosæ dissimulationis supprimendi, venter caret auribus, adeundus est novæ annonæ præfectus Josephus, odiosum multis nomen. Sed qualem hic se gerit? An tesseras dispensat quibus Romanorum: *liberalitas* inscripta? Imo neutiquam. Initio quidem se invenisse putabant Ægypti, quod puer non in faba, sistebant se supplicibus libellis regi, rati, quod dulcius ex ipso

 fonte

fonte bibantur aquæ. Enimvero rex poteſtatem de annona ſtatuendi Joſepho commiſſam cauſſatus, ad eundem ſupplicantes ablegabat, addito ſevero juſſu, quod faciendum foret, quicquid hic daturus eſſet in mandatis. Cum eo venirent annona quidem ipſis ſublevandæ fami non denegatur, verum argento parato venditur, non donatur gratis. Tranſigitur ſic annus & quod excedit, verum cum commercia & liber. commeatus quoque jacere ſoleant, ſi annonæ penuria, nervus rerum gerendarum tandem deeſſe Ægyptiis cœpit. Fruſtra videbatur denuo ad regem accedere velle: itaque confeſtim ibant ad Joſephum, ſimiles expoſtulationi querelas fundentes, quod ipſis fame pereundum, idque eo ſaltim, quod non amplius pecunia inſtructi eſſent. Sed huic mens immota manet, lachrymæ funduntur inanes, jubet, quia nummus deficiebat, adferre pecora, admittitque eos ad flebile debitorum beneficium dationis inſolutum. Facile cogitari poteſt, quod pecorum quoque greges non adeo numeroſi eſſent, quod ſi enim agri hominibus non ſuppeditant alimenta & frumentum, in pratis etiam parce fœnum colligi ſolet. Nutritur ſcilicet homo & brutum a communi matre terrā cujus novercalem affectum omne animal experitur. Accedit & hoc, quod eo tempore, ubi agri & pratorum ſterilitas communis, exiguo pretio pecora vendantur. Hinc etiam vix anno datis pecuniæ loco pecoribus fames tollerabatur. Cum itaque calamitas non finiret, lamentabili agmine rurſus pergebant ad Joſephum, mobilibus ſe nunc carere ultro fatebantur, agros tamen adhuc adeſſe ſteriles nunc quidem, ſed placato numine pingues denuo futuros & feraces, hos ſe offerre, colonorum jus & vitæ conditionem humillime ſibi unice expetentes, verum & hoc unius anni gaudium, conſumpto frumento quid reſtabat? Libertas, res, ſi habes unde vivas, inæſtimabilis quidem, ſed cui tempore neceſſitatis facile pretium definitur.

Igi-

Igitur & hæc res omnium clariſſima, cum alio emptionis pretio Ægypti deſtituerentur tradebatur Pharaoni. Inde circa finem ſeptimi anni ager Ægyptiorum factus erat ager Pharaonis, incolæ homines proprii. Reddebantur quidem precario, ſed cum onere, quod decimæ geminatæ, ſaltem per ſeptennium fertilitatis extra ordinem exigi ſolitæ, nunc inter ordinaria tributa cenſeri deberent.

§. X.

Continentur ni fallor ſingulæ facti circumſtantiæ in ſacris, ut præter breviſſimam periphraſin nil ingenio debeatur. Sed frontem contrahis, nec citra acerbitatem ita in me inveheris : fruſtra tentas hominibus imponere hiſtoriæ divinæ corruptor, an ſine falſi nota adſerere potes, Joſephum frumentum, coemiſſe, vel, ut coemeret Pharaoni fuiſſe autorem. Vbi vola aut veſtigium in Geneſi ? Non tantum ſi detrahitur narrationi ſed præcipue, ſi quid eidem aſſuitur in veritatis leges committi poteſt. Aſt ſalva res eſt, in autorem non injurii ſumus, ſi ex adductis ab eo circumſtantiis aliquid omiſſum conjecturemus, ſin idem ſuppleamus, cum & in hiſtorico ſtudio turpe ſit, videre ſaltim, quod ante pedes eſt. Jam vero cogita paulisper, rex Pharao ſcriptura ajente collegit ſeptennio fertili quintam frugum partem poſt ingruente annonæ difficultate integro fere ſeptennio non tantum Tanitici regni incolis, ſed vicinis quoque gentibus affatim frumentum proſpexit, an ſuffeciſſe credis partem quintam, licet procerum quoque horrea paucos quosdam aluerint. Provocas hic quidem ad raram agri Ægyptiaci fertilitatem quam ſatis loquitur Romanorum hiſtoria adeo ut ſi non unica præcipua certe fuiſſe videatur, annona creſcente illorum apotheca. Vnde ſingularem hujus provinciæ curam geſſerunt Imperatores, imo Auguſtus cum provincias cerneret inter triumviros collegas hanc ſpeciatim ſuæ curæ eſſe volebat. Ad-

dis Plinii libr. 18. cap. 21. histor. nat. Tritico, inquit, nihil est fertilius: hoc ei natura tribuit, quoniam eo maxime alebat hominem, utpote cum e modio, si sit aptum quale in Byzacio Africæ campo, centeni quinquageni modii reddantur. Misit ex eodem loco divo Augusto procurator ejus ex uno grano (vix credibile dictu) quadraginta paucis minus germina extantque de ea re Epistolæ. Misit & Neroni similiter 360. stipulas ex uno grano. Cum centesimo ex Leontini Siciliæ campi funduntur, aliique e tota Bœotica & imprimis Ægypto. Sed transeat prior responsio. Hæc omnia novum telum in te suppeditant torquendum, age enim! credam in tui & Plinii gratiam centesimos fructus Ægyptum fundere: verum credas velim & iis, quæ supra laudatus Justinus adfert, scilicet edicto regio a Pharaone fuisse cautum, ne fertili septennio ullum frumentum exportaretur, neque enim rationem video, cur cæteris paribus in hoc argumento major sit habenda fides Plinio, quam Justino. Accedit, quod hic nil dicat Justinus historiæ Mosaicæ contrarium. Nunc instituamut computum: Ægyptii sub rege suo ex singulis uberrimis messibus octogesimas e centesimis frugibus retinuerunt, nec enim ob regium interdictum exteris vendere licuit, nec tamen ultra annum annonæ sævitiam ferre poterant: Pharao autem collegit per provincias regni saltim vicesimas & nihilominus eidem Pharaoni, non primo saltim anno, ut incolis, sat frumenti erat, verum & integro postea subsecuto sexennio & sibi, & subditis & vicinis panem subministravit. Non puto eo te delabi, ut urceolum viduæ hic voces in subsidium: cæteroquin enim disputationi cederem, cum frustra verba conferantur cum homine citra rationem per miracula disputanti. Itaque haud gravatim concedas mihi Pharaonem magnam partem superflui frumenti a subditis coemisse, ubi enim superfluum alius mansit, dic mihi. Sic me non dimittis, sed

te

te rem acu tetigisse nunc exclamas, emisse scilicet Ægypti proceres plurimum istius frumenti quæso unde hoc constat? nulli apparent proceres in Mose, quorum horrea spicis referta fuissent, ut sibi & aliis potuissent sufficere. Suavia somnia sunt, quæ Philo ἐν τῷ βιῷ πολιτικῷ quem Josepho nuncupavit, recenset. Frumentationem enim hujus viri ita describit, vel rectius ita eum consilium exposuisse Pharaoni fingit. *Sed mihi numen quoddam suggerit (sic habet versio Hæschelii) quod in tantis malis salutem afferre queat, urbium regionumque gravissimus morbus fames, cujus vires oportet frangere, ne nimium auctus incolas deleat. At quomodo succurrendum est huic periculo e septem annorum fertilitate, quod supererit satietati hominum, hoc est quinta pars reponatur oppidatim vicatimque non transportando fruges alio longius, sed ubi demetuntur, asservando in usum ejus loci hominum, eas fruges censeo, cum suis manipulis contendas, nec trituratas nec purgatas, quatuor de causis. Quarum una est, ne citius vitientur nudatæ suo tegmine, altera ut per singulos annos renovetur pristinæ copiæ memoria, rusticis triturantibus & fruges eventilantibus. Tertia ne inire possit frumenti numerus, dum incertum est, quantum spicæ manipulique contineant, ne animus colonus deficiat reputantes quantum absumptum sit, sed securitate non minus, quam cibo se sustineat. Spes enim alit cumprimis grave pœnuria malum sublevans. Quanta causa est, ut jumentis condatur pabulum, quibus aristæ paleæque purgamenta frugum proderunt. Ea cura committenda est cordato probatoque, qui possit sine invidia reprehensione hoc consilium exequi tanta dexteritate, ut nihil populo de fame futura suboleat. Durum est jam ante ægris animis spem in futurum adimere.* Sane hæc legentem subiit recordatio brevis, sed acutæ annotationis, quam illustris THOMASIUS ineptæ exegesi seu glossæ ad istud Virgilii

Ferte cito flammas, date vela, impellite remos,

subnectit. Scilicet nescio quos tropos, quasve figuras scho-

liastes

liastes singulis verbis inesse multa pompa contendebat, his addidit vir laudatissimus: jurares de his ineptiis nunquam cogitasse Virgilium, cum versum scriberet. Vix credere ausim, accommodatius quid dici posse de nostro Philone, quam quod quilibet rem exactius perpendens juraturus sit, de his ineptiis non cogitasse Josephum, cum consilium daret. Neque vero infrequens est Philoni, historiam non describere, prout gesta est, sed prout gestam in futuræ speculationis usum desiderat. Quod Lucretius suum opus agere, non scribere historiam, scite dicit. Imo in causa extitit hic cætera eruditus Judæus, quod quidam patrum allegorico sensui plus justo indulserint, præcipue Origines & Cyrillus Alexandrinus. Graviter de eo Photius: *in libris ipsius dicendi vis ac venustas apparet, peccat tamen Philo non raro in ideis transmutandis.* & paulo post: *arbitror ab hoc omnem scripturæ sensum allegoricum promanasse. vide Bibl. Phot. 278. edit. Stephan.* in ipsa historia Josephi, ne dubites de exemplo, scripturæ contradicit, dum asserit, Josephum, nemini fata sua in Ægypto exposuisse, ne quidem summo pincernæ. Hujus contrarium disertis verbis extat *cap. 40. v. 15. Genes.* Ratio fictionis Philonicæ erat, quo de silentio, de patientia secundum ideam suam Platonicam (*vide Phot. cit. loc. in fin. ubi ita*: *aut Plato philonizat, aut Philo platonizat*) vanas speculationes incautis vendere possit.

§. XI.

Constat igitur, nisi me omnia fallunt, nostræ relationi de Josepho sua veritas, nunc expendamus, an Dardanarius dici mereatur. *verb. Leg. 6. ff. de ext. criminibus sunt. Annonam attemptare, & vexare vel maxime Dardanarii solent: Quorum avaritiæ obviam itum est, tam mandatis quam constitutionibus. Mandatis denique ita cavetur. Præterea debebis custodire ne Dardanarii ullius mercis sint, ne aut ab his; qui co-*

emptas

emptas merces supprimunt, aut a locupletioribus qui fructus suos æquis pretiis vendere nolunt, tum minus uberes proventus expectant, ne annona oneretur. Reliqua nos non tangunt. Age conducamus hac thesi omnia, quæ Josephum arguere possint. Sed paucis tamen antea ad objectionem respondebimus, mirum nempe poterat alicui cui videri, quod legem adduxerimus civilem, cum supra aliter Dardanariatum definire placuerit & sic tacite a lege recessum sit. Verum hoc neutiquam concedimus nunquam recedimus a *Lege* obdicta §. *3. init.* supplevimus saltim subjectum activum uti schola loqui amat, modum quomodo committatur, omnino e Lege debita veneratione haurimus. Igitur si legem consulimus apparet, quod Dardanariatum incurrat, qui annonam vexat & attemperat. Verum hoc nimis generaliter dicitur, quid ergo est vexare annonam ? Ita quidem creditum olim, quod caritas præstigiis debeatur, unde apud Varonem excandefacere, incendere, tanquam species flagellatæ annonæ recensentur. Enimvero Ulpianus magis usitata facta substituit, coemptas merces supprimere & proprios fructus æquis pretiis vendere nolle, sed cur vendere nolle : quia minus uber proventus expectatur. Hæc loquitur textus & plura non loquitur, mentionem facit quidem avaritiæ, sed hoc te non turbet, exempli saltem loco allata est avaritia, sive ex cupiditate honoris, sive ex luxuriei amore hic pecces, idem dicendum erit. Leges civiles enim interna curare ne queunt, quia hæc curare non est hominis, sed DEI. Nunc examina, quid Josephus egerit, non quidem ipse frumentum coemit, non suppressit proprium objicis, sed respondeo, dedit tamen Pharaoni consilium, an hoc tantum ? imo non, sed rei frumentariæ se præfici passus, fideliter in actum consilium deduxit. Jam vero mihi cætera si paria sunt, videtur perinde esse, an ipse agam, an alium instigem, an alii agenti

auxilio adſim & ſimilia. Sed inquis: Joſephus hæc egit omnia, quia divinitus ipſi futuri temporis calamitas & annonæ ſævitia prædicta erat, aſt quid inde quæſo? Hoc certe inde ſequitur, ergo Joſephus coemit, aſſervavit, quia annonæ mutationem præſciebat: alii Dardanarii coemunt, aſſervant, quia hanc credunt, quam differentiam hic gignent, ſcientia & opinio? An credis, Dardanarios non empturos eſſe ſi certo ſcirent? Urges, Joſephus monitus fuit a Numine. Reſpondetur Dardanarii libenter quoque hanc gratiam a Deo ſibi expeterent, ut monerentur a numine, imminere annonæ caritatem, ſed an meliores credis futuros, ſi moniti Dardanarii eſſent, inſtas: ſupprimunt, ut carius vendant, non ut tempore neceſſitatis aliis auxilio eſſe queant. Verum quid ſi Dardanarius quiſpiam hoc negaret & diceret bona ſe intentione frumenta coacervare, an dimittendum cenſes, nec ad vendendum cogendum? Credas, quod lubet, ego non credo. Addis Dardanarii omnia faciunt, quia expectant & deſiderant annonæ caritatem, Joſephus vero, quia ſua ſponte veniebat quam non deſiderabat caritas, ſed repete reſponſionem priorem & finge Dardarium dicere, eſſe perpetuas rerum viciſſitudines, ſe non optare ſterilitatem, homines tamen eſſe impios peccata pœnas ſequi. Satis intelligis quid dicere velim. Revoca in memoriam quæ §. 9. de modo vendendi diſſerui, an Dardanarius ergo non eſt, qui pecuniam, qui libertatem tempore caritatis extorquet, & ſi non eſt, quis demum erit? Bene agis quod objectione communiſſima ſuperſedes, Joſephum fuiſſe virum ſanctum, hinc piaculum eſſe de ipſius facto diſquirere. Hæc enim proferre non eſt amice diſſerere, ſed terrere, non candide colloqui, ſed frequenti quidem, verum peſſimo exemplo argumentum ab invidia movere. De quo præclara lege apud limatiſſimi judicii Clericum in

logic.

logic. & elegans exemplum recentius in com. ad Pentateuch. locis ubi de Urim & Thumim exponit. Idcirco videtur ex duplici capite inter reos deferendum tandem Josephi nomen, quod suppresserit, quod rigido demum pretio vendiderit.

§. XII.

Ast ita videtur saltim, distincte nunc commonstrabo imputationis falsitatem. Quod crimen Dardanariatus attinet, ex supra dictis constat Josephum hujus accusari non posse, quia quod egit, authoritate, sui regis egit, adeoque Dardanariatum, civile crimen, seu quod demum ex vitio crimen per interdictum civile fit, non incurrit. Suo jure utique emit, qui vero hoc utitur nemini facit injuriam, quicunque affectus subsit. Docuit apprime huc facientia Ulp. de puteo, quem aperio & quo aperto venæ putei vicini præcisæ sunt L. 24. §. ult. de damn. infect. Multo magis ergo superiori licebit insistere emptioni & coemptioni servationi & asservationi tanquam rei suæ. Inde enim Ulp. citat. text. probat fossorem putei vicino injuriam non facere, quod rei tuæ insisteret. Promisit utique Princeps se procurare velle salutem publicam, sed nunquam promisit, quod velit plane non uti jure proprio. Tenetur securiati prospicere, ut cives a civibus non turbentur & ne hostis improvisos occupet. Cur vero idem non aget, cur idem non agere potest, si commerciis se ingerit, si honestum lucrum quærit, etiam frumento? Jam vero hoc lucrum intelligi nequit si vili pretio non emas, si ampliore non vendas, modo alios ab emptione non arceat, modo pecunia non emungat innocentes. Sed habeo te inquis teneo te, sit ita, crimen non admiserit Joseph, violati tamen amoris reus est, secundum tradita, quid vero est simulate agere, si hoc non est. Durior sane videtur multis in humani quam injusti appellatio, miserum itaque te apologetam, qui hoc sal-

tim non illud a Josepho avertisti. Ergo ab inhumanitate alienum fuisse mihi ostendendum. Emit itaque Josephus esto frumentum, sed a quibus? ab Ægyptiis, qui hi? Resp. homines, quibus futura calamitas annuntiata quibus dictum, quem in usum fieret emptio. Sed isti sibi sapere visi audire nolebant, Nilum a multis retro seculis inundasse terram, hac tempestate nil novi verendum rati. Josephum hominem exoticum, transmarina sua sapientia gratiæ regis adrepere velle, se non posse felicius hominis vanitatem universo orbi deridendam dare, quam si frumentum ipsi venderent æquo pretio, brevi fore, ut idem cogatur viliore vendere, aut ut tabe, aut putredine intererat. Mera & putida mendacia esse ipsius vaticinia, efficta in solum hunc usum quo debito eximeretur carceri, quo meritis solveretur vinculis. Tandem inquiebant sapiet Pharao, licet serio cum Phrygibus, tandem discet vulgare proverbium intelligere, quod panis sit perditus, qui peregrino cani aut homini datur. Si quid timendum esset, cur non scirent magi, sophistæ, onirocritici, homines sane plurimum reverendi excellentissimi & experientissimi. Quid ergo agendum Josepho, an emendum frumentum, & asservandum? an dicendum Pharaoni, se hæc citra damnum facere non posse, se esse mentitum, nullam annonæ caritatem venturam? An in gratiam hominum ipsius internecionem intendentium mentiri debebat? An regi intercipere lucrum, quod hac occasione acquirere poterat, & quidem tali regi, quem ritem, quem gratum esse re ipsa expertus erat, quem innocentiam defendere proprio exemplo didicerat. Crudele fuisset cum maxima regis ignominia revocare in dubium, quæ ante jussu ipsius suscepta erant. Impium fuisset divinæ misericordiæ reluctari voluisse, quæ secundum ineffabilem suam gratiam futuram pœnam, quo minus affligeret, quo tanquam prævisa minus noceret indicaverat.

rat. Itaque inter ſacrum & ſaxum veluti conſtitutus ſanctiſſimus noſter Joſephus, egit, quod omittere non poterat, non in ſinu gaudebat impiorum more, quod ingens lucrum capere poſſet, ſed contriſtabatur, quod Ægypti noſcere nolebant, quæ e re ſua eſſent. Non tacebat imminentem ſiccitatem terræ & annonæ caritatem, quæ itidem peſſima improborum conſuetudo eſt, quod de inſtanti periculo alios non admoneant, ſed palam pro concione adſtante rege, adſtante multitudine Hebræi & ſolius veri DEI præſcientiam laudabat, voluntatem ſignificabat. Imitentur hoc quotquot ſunt Dardanarii, quotquot dantur hirudines e ſanguine proximi ſui vivere cupientes. Accedit, quod Joſephus non propriam utilitatem quæreret, non offerebat enim ingentem pecuniæ ſummam pro conductione rei frumentariæ, prout in ſimilibus negotiis hodie ammodiatores & publicani facere ſolent. Dubium tibi adhuc reſtat circa venditionem, quæ tantum non Machiavelliſtica videtur, ut problema utrum Joſephus fuerit Machiavelliſta, æque diſtinctam Diſſertationem poſcere exiſtimes, quam problema præſens, utrum Joſephus fuerit Dardanarius. In præſentiarum pauca cape. Nolumus diſputare, an Machiavellicæ philoſophiæ ſectator fuerit nec ne, cæteroquin enim opus foret, perſpicue oſtendere, quid proprie docuerit Machiavellus, neque enim interpretes Langenhert, Conring &c. ex aſſe nobis ſatisfecerunt. Præſtat itaque ſimpliciter demonſtrare, ne ſic quidem in juſtitiæ vel amoris regulas impegiſſe Joſephum, juſtitia vult, ut ſuum cuique tribuatur, ut ſine pretio vendas non exigit, ſed ſecundum communem doctrinam in contractibus oneroſis exigit æqualitatem, igitur circa illum facile convenimus. De amore difficilior videtur inſpectio dicitur in ſacris: Brich den Hungrigen dein Brod. Imo ſalvator noſter ſancte promittit, quod vel pateræ aqua repletæ oblationem penſaturus ſit. Attamen

men duplex ſuppetit ad hæc reſponſio. Liberalitatem exercere jubemur de propriis, non de iis quæ ſunt alterius, ſecundum vulgatam enim parœmiam laudem non meretur, qui furatur corium quo pauperibus calceos gratis conficere queat. Frumentum, quod vendebatur, non erat Joſephi, ſed regis, præpoſitus erat, non ut donaret, ſed ut venderet, omnis occaſio benefaciendi ipſi quidem non erat præciſa, neque credendum quod ullam neglexerit. Conſilium dederat Pharaoni non improbandum, quomodo neceſſitati conſulendum eſſet, vendendi modus pro re nata variabat. Porro quid tandem lucro Pharaonis ceſſit? Rides forte & multa ceſſiſſe dicis argentum, pecora, agros, & ipſam libertatem. Sed anne iniquum ut qui argentum habet, illud pro emptione neceſſariarum rerum expendat? Reſpondebis quod non, eſſe enim naturale venditionis. Itaque quærendo pergo, an pecora macilenta, quibus alias pereundum accipere pro frumento iniqua res eſt? An credis pecora ſub conditione non fuiſſe reddita? An agri non ſtatim redditi impoſitis ſaltim duplicibus decimis, re ſane admodum levi, ſi fertilitatem ſupra e Plinio deſcriptam conſideras. Erat potius beneficii ſpecies, quod rex majora tributa frumento redimeret, non gratis exigeret, meditare ſi placet, ſtatum modernum Turcarum & Gallorum, An offert rex aliquid, quoties onera multiplicat, quoties novum vectigalis genus excogitat? Ultimum tamen omnium maxime te torquet ni fallor, quod libertate cedendum fuerit. Sed annon homo, qui pecoribus ſuis ſub certa lege fruitur, qui e frugibus centeſimis viceſimos regi ſolvit octogeſimos ſibi reſervat, ſatis liber eſt. An ſubditus eſt ens ſecundum tuam philoſophiam, quod quælibet audere poteſt? An eadem libertas ruſticorum noſtrorum quæ principis. Annon Samuel dixit Iſraelitas futuros ſuorum regum ſervos? Ecquæ eſt tua ſervitutis definitio? Enimvero video

te